

Quique pervenientes dicti Episcopi, Dalmatarum peragantes Civitates et Chroatorum atque Serborum proceribus convenientes, congregatis in Spalato Episcopis & Judicibus, celeberrimum Concilium peregere. Ubi divino juvamine freti haec quae sequuntur Capitula observare censuere.

I. Quoniam antiquitus B. Domnius ab Apostolo Petro praedicare Salonom missus est, constituitque, ut ipsa Ecclesia et civitas, ubi sancta ejus membra requiescant, inter omnes Ecclesias Provinciae hujus Primatis habeat et Metropolis nomen, super omnes Episcopos legitime sortiatur; ita duntaxat ut ad ejus jussuonem Episcopi, qui per divinam gratiam cathedram ipsam retinuerit, et Synodus celebretur, & consecratio Episcoporum, quia dicente Domino: ubi fuerit corpus, illic congregabuntur et aquilae.

II. Ut in cunctis Ecclesiis, in quibus supra recolitur Episcopus habitasse, nunc autem Clero, ordine et populis sufficiens adest infra Dioeceseos limites, Episcopus habeatur; quia juxta decretum Patrum non licet in modicis civitatibus, vel villis Episcopos statuere, ne nomen Episcopi vilescat, et ut Episcopus vacans vacantem Dioecesim cum Consilio Metropolitani, et caeterorum Episcoporum coe. accipiat.

III. Quoniam minime terminis a Patribus statutis transferri debent, unusquisque Episcopus descriptos sibi terminos possideat, et alienam dioecesim nullatenus invadat; jure proprio servato in regnandis, consecrandis Ecclesiis, vel Sacerdotibus promovendis, atque a suo Episcopo Chrisma accipiendum.

IV. Ut possessiones Ecclesiarum, quae pro peccatis conditorum oblatae sunt ad honorem sanctorum, saecularibus minime mancipientur; quia res Deo semel dedicata humano dominio subdi non debet.

V. Ut si qua Ecclesia vel possessio per privilegium a fidelibus sub anathemate in principali Ecclesia S. Petri apostoli subditae sunt, minime substantur (subtrahantur) quatenus et offerentibus et res ipsa tuentibus Christi Clavigeri Petri tueantur suffragiis.

VI. Ut si divino judicio in tumultu plebis Princeps provinciae occidatur, quia quod a multis committitur inultum manet, vel pro ipso reatu qui(s) cognoscunt, obnoxii debent esse pro ipsa anima eleemosynas facere, et si quam Ecclesiam dedicavit, vel libertos fecit, defendere, uxorem aut filios fovere benigne.

VII. Ut si quis malignus diaboli spiritu affato (afflatus) singulari consilio, sicut Judas, Dominum suum occiderit, lapide e collo suspenso, ferro corpore praecinctus, exul poeniteat.

VIII. De Episcopis Ragusitano & Catharitano, quorum manifeste una sedes dignoscitur, ipsam Dioecesim aequa lance inter se dividant, ita ut si unus dictae Ecclesiae Pastor obierit, donec ordinetur Episcopus, residens Episcopus ipsius Ecclesiae Ecclesiasticam curam gerat.

IX. De Licinio Episcopo, ut in Ecclesia, in qua ordinatus est, contentus permaneat; et nullus deinceps in ea Episcoporum, vel Presbyterorum Missam celebret, donec proprius Episcopus eam consecret canonice. Si quis postmodum